

1700
G.K. 195. (22)



X 2022876

D. Jo. Olearii

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
FESTUM
REFORMATIONIS
LUTHERI


IN VIGILIIS OMNIUM SANCTORUM

A. R. O. clō lōc c.

PIE CELEBRANDUM
INTIMAT.

iniquo ac
de Ant. Buisnonis, monstro de Lutheo judicio





Urum admodum est illud de LUTHERO æque, ut aliis Religionis reformatoribus, ANTHONIÆ BURIGNONIÆ iudicium, quod Libro II. de falsa Religione legimus: *Non possum, scribit, credere illum Reformatorem (Lutherum intelligens) aut institutorem novarum Religionum a Spiritu S. ductum fuisse. Metuo potius, ne ex affectu aut fastidio quodam (jam in plurali loquitur de Protestantibus) religionem mutaverint, & ex Ecclesia Romana discesserint. Si enim veri Christiani esse voluissent, potuissent id in Ecclesia Romana non minus esse quam alibi, imo facilius prestare, quia in externa disciplina hæc aliis quibuscunq; prestat, cum cetera disputationibus turbata non habeant, qui difficultates decidat. Quapropter Ecclesia Romana non est relinquenda: nec ego eam unquam relictura sum, etsi nihil haberet, quam statum civilem & politicum. Eadem in præfatione Libri III. Luminis mundi: Non est putandum, ait, malum solummodo esse in Ecclesia Romana, ut Reformati omnes sibi persuadent, qui illam vocant magnam meretricem Apocalypticam, cum tamen illi omnes & singuli magis meretrices sint, quam ipsorum mater, Ecclesia Romana, ex qua exierunt, non reformationis causa, sed potius deformationis, majorem bestiam facientes, quam erat. Reformati enim majori licentia vivunt, quam qui in ecclesia Romana permanserunt: hi enim sunt sub disciplina, & moribus ordinatis ac refrenatis vivunt, at Reformati vivunt, sicut bestia, & singuli suam voluntatem & inclinationem nature sequuntur. Neque hic subsistit Anthonia, sed mox longe atrociora nobis objicit. Causa, inquit, omnium Reformantium, ut ex ecclesia Romana exirent, fuit, ut nova instituta facerent, relaxamentis suis accommodata, utque frena brutalibus sensibus laxarent, nec sub disciplina superiorum subsistere volebant: sequebantur impetum voluptatum carnalium, rumpebant vota & juramenta castitatis. Exeundum itaque erat ex obedientia Romana: alias in carceres coniecti fuissent, ut perfidi & impii. Non quidem hoc aperte dicebant Reformatores, se gula & scortationis causa ex obedientia Romana discedere: hoc enim infame ac auditu molestum apud honestos fuisset; sed abusus dicebant se reformare velle, reverentiam tamen licentiosam intendebant*



debant, ut jugum pietatis ac veritatis abjicerent, utque frena motibus natura corrupta solverent. Cum vero vitam licentiosam cuperent, populum non poterant subjectam sinere superioribus, nec ipsi his subesse: itaque ante omnia ab obedientia Pontificia, & aliorum superiorum, populum retrahabant, ut quisque viveret pro lubitu, bestiarum more, sine omni metu aut sollicitudine, nisi edendi ac bibendi. Hoc contra omne decus est: neque enim ulla regio, respublica, aut familia regi potest, sine capite, superiore, aut patrefamilias: quid enim fieret, care Lector, in civitate & provincia sine magistratu aut superiore, quam spelunca latronum & maleficorum? Superioritatem tamen, tam utilem & necessariam, in statu etiam civili rejecerunt Reformatores, ut malam, nec ab ea dependere volebant, sed independentes vivere, ut habenas sensibus brutalibus tanto liberius laxarent. Hæc omnia, postremo loco a nobis adducta, sufficiens profecto ad demonstrandas diabolicas furentis foeminae calumnias argumentum præbent, tamque enorme ac putidum in se complectuntur mendacium, ut responsionem non mereantur, ipsa facti evidentia contrarii istud refellente: & talia per summam calumniam olim objectantibus millies os obturatum est. Quæ vero intermedio recensuimus loco ex ejus præfatione in *Librum III. Lum. Mundi*, nec de omnibus, nec de majori nostratium parte, sine improba iterum calumnia, dici possunt: neque ullam veri speciem habent, si mores cœtuum Protestantium cum aliis comparentur. Verba denique *BURIGNONIÆ*, ex ejus de *Falsa Religione Libro*, in primo statim limine commemorata, ipsi forte ut personæ Romano-Catholicæ condonare possemus, nisi ex innumeris documentis constaret, Burignoniam ipsam ab Ecclesia Romana, quam nunquam se relicturam esse mentita est, discessisse, ejus formalia Capita, per quæ ab aliis distinguitur, potestatem pempe ac infallibilitatem ecclesiæ, quatenus illa vel in conciliis, vel in Pontifice, vel in utroque simul constituitur, negasse, tantamque ei confusionem & apostasiam tribuisse, ut fugiendum omnino ex illa esse clarissime decreverit. Ex hoc principio, & quod ecclesiam Romanam pro vera Dei ecclesia non haberet, exitium ei sæpissime denunciavit. Verbi gratia *Libro I. Luminis Mundi* f. 149. postquam in præcedentibus *Cortium*, familiarem suum, persuasisset, ut omni functioni sacerdotali, etiam missæ, renunciaret, interroganti tandem illi: *an futurum sit, ut ecclesia Romana destruenda esset? Utiq̄ue*, respondit illa, *fiet hoc, ut omnis splendor & magnificentia hujus ecclesiæ destruat̄ur, nec lapis super lapidem maneat.* Ut vero diaboli sive Antichristi regimen in ecclesia Romana agnoverit, ex *Libro II. Lum. mund.* f. 171. patescit: *Postquam,*

ait, formari cœpit hoc magnum corpus ecclesie Romanae, diabolus factus est
ejus Generalis, sive belli dux: per illam gubernat totum mundum, & est
Imperator universalis, speciatim super Christianos, quos particulari regit
imperio. Libro autem III, de Ecclesia Romana hæc habet f. 66. Amavi
ecclesiam Romanam: nata enim & baptizata sum in illa, & strictè obser-
vavi ejus præcepta & decisiones conciliorum ejus, quas noveram. Sed cum
postea Deus mihi ostendit, quod infidelis ipsi facta est, ac deserto Deo semet
diabolo obligavit, nonne manifestare hoc debeo fratribus meis christianis,
qui hæc ignorant, ne in illa pereant? Queritur inde f. 162. quam injuste
sepe persequantur, divina jussa annunciantem, Cortium vero ad obser-
vanda dicta sua hortatur, ac ne tentari se patiatur pravis cogitationibus
diaboli, quando per presbyteros, religiosos, episcopos, aliosque prælatos
ecclesie ipsum regere vellet, quos Spiritu Dei regi crederet, cum tamen
regantur a spiritu diaboli. Pertinent huc quæ in *Historia Vitæ Contin.*
f. 273. seqq. referuntur de colloquio ejus cum Deo, in quo per quæstiones
bene multas omnia sacra, quibus Romana ecclesia utitur, improbata fue-
runt. Compendium eorum habemus in *Præfatione Apologetica* opusculis
ejus, novendecim voluminibus comprehensis, & ab Henrico *Wetsteinio* ce-
lebri bibliopola Amstelodamensi an. 1686. editis præfixa, ubi (f. 374. seqq.)
tandem *Antonia* argumentis victum fateri legimus *Cortium*, se deceptum
fuisse, cum credidisset Romanam ecclesiam sanctam & infallibilem ef-
se. Nec est, cur aliquis contendat, tantum abusus hujus ecclesie ipsam
improbasse. Improbavit enim & rejecit totum corpus, totam Hierar-
chiam, maxime vero formale illud, quo uno se metitur ecclesia Roma-
na: unionem cum capite visibili (*Papa*), & infallibilitatem in dogmatibus.
Cum igitur *BURIGNONIA* ipsa separationem a communione Roma-
na fecerit, & alios ut facerent jussit, mysterium iniquitatis fratribus
suis christianis, qui hoc ignorabant, manifestans; quid est? quod ita sto-
machetur contra Lutherum & pios majores nostros, dum eos non a Spi-
ritu Dei ductos, sed ex affectu aut fastidio quodam religionem mutasse, no-
vam instituisse, & ex ecclesia Romana sine justa causa discessisse blate-
rat? Ita nempe calumniandi protervia foeminae furore fanatico per-
citæ ex insulis & blasphemis ejus commentis, in primis vero arrogan-
tia intolerabili, cui parem orbis vix vidit, originem habuisse videtur:
Inter primarios *Antoniae* articulos erat *Indifferentia religionum*. Ita
enim in *dedicatione Lapidis Lydii* scribit: Nunquam causam religionum
particulariter egi, sed unam ecclesiam in Christo opto: nulli unquam au-
tor fui, ut religionis nomen mutaret. Et *Lib. IV, Lum. in Ten.* f. 88. 89.
Non

Non puto, ait, mutari religionem debere. Qui verus vult fieri Christianus, perfectus fieri potest in illa, in qua Deus eum nasci fecit, religione: inconstantia non venit a Deo. Hinc statuit in Lyd. Lap. n. 275. Omnes divisiones reformationum in Christianitate a diabolo provenisse, & non a S. Spiritu. Sic animata BURIGNONIA non potuit non Reformatores pro diaboli ministris & pro hæreticis, ut nominatim vocat Lutherum (Lib. I. Lum. Mund. p. 39.) habere. Alterum ejushuc spectans commentum est, quod Ecclesia sit in singulis animabus. Id enim pluribus locis inculcat. Inprimis autem (l. c. f. 163 & 164.) ita ratiocinatur: Ecclesia est verbum Dei, & est in nobis, quia sine verbo esse non potest. Si unusquisque ecclesiam in centro cordis sui quæsvisset, non esset tantus errantium numerus. Posteaquam Deus extra nos per diversa media quæsitus fuit, discessum ab eo per eadem media est, per quæ inveniri deberet. Qui ecclesiam quæstiverunt apud tot doctores, magistros, directores, ab illa sancta ecclesia remoti fuerunt, secuti que sunt terrestrem atque carnalem. Ita diabolus magnam messem horreis infernalibus invexit. Rogo itaque te, (alloquitur Cortium suum) ut nullibi ecclesiam quæras, quam in centro anima tua. Tertium huic scenæ inserviens BURIGNONIÆ assertum in eo consistit, quod nullos in orbe Christianos superesse statuatur, eo quidem fine, ut divina sui ceu foeminae legatio, non nisi ob extremam necessitatem, & ut vel in sola ejus persona servaretur ecclesia, & per eam Christiani denuo fierent, facta esse demonstratur, sicut eadem mentien- di protervia Christum venisse docuit, cum nulla prorsus superesset veritatis cognitio. Audiamus ipsam Lib. IV. Lum. in Tenebr. f. 244. hoc dirum acroama eructantem: Non novi via humana omnes christianos in orbe, quanquam verissime me MATREM eorum profitear, sed Deus illos bene novit, qui mihi cognoscendum dedit, nullos superesse in terris, & quod de hoc tempore loquatur David Ps. XIV. Optarem sane, ut contraria asserentibus credere possem, sed Deo potius credendum est. Si Sara ob sterilitatem suam doluit, cur non ego, quæ MATER SPIRITUALIS sum, do- lerem orba & desolata? Riderem ut Sara, si quis Angelus mihi annuncia- ret, multos me liberos habituram esse. Quia ergo ecclesia, id est anima fidelis (una aut plures) sola habet jus veritatem cœlestem annunciandi, cum id nulli homini malo permittatur (Psal. L. 16. 17.) & ecclesia vera re- ducta est ad unam hanc foeminam, cum ne unus quidem homo (in genere masculino) superfuturus sit, qui faciat bonum (Ps. XIV. i.) irrefragabiliter inde sequi putat Autor præfationis Apologeticæ supra memoratæ, aliquam foeminam seu Virginem ultimo tempore a Deo suscitandam esse,



que ecclesiam restitueret, liberos spirituales produceret, & diabolo omnem
eiusque in terris exercitiam potestatem per annunciationem fœderis & mi-
raculorum Dei adimeret, queque, ut Christus ipse, audiri deberet. Sed
mittamus hæc atque alia hujus generis putida & satis blasphemata com-
menta plura. Arrogantiam vero ANTONIÆ omnia ejus scripta ver-
miculosa spirant. Ex innumeris pauca hæc subjungimus. Super pri-
vilegio maternitatis cum Romanensibus suis ita altercatur: *Tot sancti
& magni doctores pro felicitate reputarunt, ut S. Tereſiam pro matre ha-
berent, quid ſcandali eſt, ut jam virginem pro matre habeant?* Lib. III. de
Lum. in Teneb. p. 136. De facultate ſua & promptitudine ſcribendi ita
gloriatur: *Qui me ſcribere vident ſciunt, quod id facio ſine omni ſtudio
& ſpeculatione humana, & quod fluat ex meo ſpiritu veluti fluvius ex ſua
origine, & quod nihil facio, quam ut manum meam & ingenium alii,
quam mee potentia, accommodem. Si enim aliquid ſcripſi, iterum ſcribe-
re nunquam potero, eſſi vellem. Imo ne ſcio, quid ab initio tractatus
ſcripſerim, cum ad medium aut ſinem perveni, ſed aliis do paginas, quas
ſcripſi, unam poſt aliam, prout dictantur, ſine alio examine. Quanto mi-
nus enim recordor eorum que ſcripſi, tanto melius nova recipio.* Lapid.
Lyd. n. 29. Ubi omnia ex immediato Spiritus S. dictamine ſe ſcribere vult
videri. Quod ſe omnino Apoſtoli præferat, porro dubitari non ſinit per-
petuum ejus aſſertum de effuſione Spiritus S. plenaria, nunc demum in
ſe facta. Ita enim non ſine Apoſtolorum contumelia ſcribit l. c. n. 273.
274. *Cur dicunt prædicantes ſuperbiam eſſe, cum affirmo, Deum mihi
clariorem veritatem dediſſe quam olim Apoſtoliſ dedit? dicant mihi, quan-
do vaticinia illa (Eſ. II. 2. Jer. XXX. 24. Joel. II. 28.) impleta fuerint? nam
in paucos effuſus eſt Spiritus S. & tam imperſecte, ut Apoſtoli ſibi ipſiſ in
cauſa religionis aliquando contradixerint.* Quod probat deinde Barna-
bæ & Pauli exemplo Act. XV. 36-40. Cum vero Patres Eccleſiæ melio-
ris non poſſint eſſe conditionis, quam Apoſtoli, hiſ quoque effatum Pau-
li applicat (1. Cor. XIII. 9.) *ex parte cognoviſimus:* at ſibi id dictum eſſe
non putat. In ſcriptis enim ſuis *quintam eſſentiam ſolidæ virtutis, cla-
ram veritatem ad malum manifeſtandum, & lapidem philoſophicum ad
verum charitatis aurum inveniendum contineri aſſerit.* L. II. Lum. in Te-
neb. p. 149. & III. p. 232. 243. Tandem omnes omnino homines præter ſe
pro ignorantibus habet ac declarat, omnes a veritate ſtatuit defeciſſe, ſi-
ve ut ſinguli, ſive ut eccleſia & concilia conſiderentur, maxime vero ſa-
pientes ſive theologos. Hinc non obſcure ſe omnium hominum illu-
minatricem atque reformatricem jactitat: *Ego, thraſonice ſcribens, ſum*

LEGA-

*LEGATA a Deo, ut mundo lumen afferam, & testimonium perhibeam veritati. Item: Vera LEGATA sum a Deo ad veritatem omnium rerum, declarandam: veritas hucusque non est detecta, nihil in Sacra Scriptura vero sensu explicatum est. Huc pertinent illius, qui Apologiam pro Antonia & Historiam vitæ ejus conscripsit, adulatoria elogia. Is enim, feminam hanc Spiritu Dei præter omne exemplum illuminatam & actam, imo Sponsam Christi singularem, & ad ultimi evangelii prædicationem, renovandamque vitam ei convenientem, ex omni genere hominum delictam, & in Apocalypsi Johannea (cap. XII.) sub figura mulieris parturientis infantem præfiguratam credere se profiteretur: adeoque dicta ipsius pro oraculis, & pro nova Scriptura Sacra, veterem vel firmante, vel explicante, vel corrigente, tanta cum religione veneratur, ut & solœcismos ejus, & tautologias, & in stylo errata dictamini divino tribuat. Ut jam taceamus impudentissima, imo blasphema, & diabolica nugamenta, quæ Autor Testimonii illius, quod Dei vocat, infandæ adulationis erga Burignoni-
am consummatum instar præbiturus, pro demonstratione promissæ in Scripturis Sacris prædictæque restitutionis ecclesiæ per Antoniam, ad docendum omnes homines divinitus missam, ore impio eructavit, torquens huc e Scriptura V. T. illud *Genes. II. 18. faciamus ipsi adiutorium*; nec non istud, *ponam inimicitias inter serpentem ac mulierem c. III. 15.* variaque loca *Esaie a cap. XL ad LXVI. Psalmum XLV. CX. CXIII. Proverbiorum caput ultimum a v. 10 ad 31. Sulamitiden Salomonis in Cantico, Jeremia cap. XXX. 23. XXXI. 1. 10. 21. & ex Codice N. T. dictum Matth. XIII. 34. 35.* quod etiam insolentissime ac nefarie de seipsa explicavit *Burignonia L. III. Lum. Mund. cap. ult.* imprimis *Apocalypsin* non uno loco. Hoc scilicet est sapere & Scripturam recte interpretari! Infelix terra, quæ hoc monstrum hominis genuit, fortasse & quæ sciens aluit & protexit! Hac argutandi infania os (si patiantur) obstruitur ecclesiæ doctoribus, & sicut oracula cessasse dicuntur docente Christo; ita jam nemo in toto mundo, *Antonia* ejusque famulo evangelium prædicantibus, aut ex latebris per chartas flammis dignas evulgantibus, potest aut debet præter illam illumque audiri. Desinamus ergo mirari injustum Virginis monstrosæ de LUTHERO judicium, quo ipsi Spiritus S. auxilium & impulsus in reformationis negotio abjudicare, summaq; cum contumelia præcipuam hanc reformationis gloriam eripere, sibiq; soli ut legatæ a Deo vindicare non erubuit. Quanto nos rectius LUTHERUM præ ANTHONIA debitis honoramus encomiis. Ille enim ex solo Dei verbo docens, nullas inspirationes & visiones, nulla alloquia nec somnia jactans a tot (imo a plu-*

6215
a pluribus) regnis, magnisque provinciis & urbibus intra annos quatuor
aut quinque pro veritatis divinæ præcone sive *Angelo* agnitus & laudatus
fuit, quot ista Pseudoprophetissa, quæ suam a Deo legationem est ementi-
ta, per annos quadraginta, constantes amicos parare sibi non potuit. Il-
lius encomia per magnam orbis partem adhuc durant, & ut pie confidi-
mus, ad finem mundi durabunt, etiam sub persecutionibus, quibus Deus
explorare nos & detegere hypocritas solet: cum tota hujus Oeconomia
jam periisse, aut paucis admodum sectatoribus constare videatur. Ta-
lia enim opera, vel *Gamaliel* teste, aut ex Deo sunt & stabunt, aut ex ho-
minibus & concident. Unde patet, quantum referat, quo spiritu impul-
si fuerint reformatores. Nos ut LUTHERUM in hoc reformationis
opere a Spiritu Dei ductum omnino, ac singulari æterni Numinis provi-
dentia adjutum fuisse, pie credimus, & ex documentis innumeris certo
colligimus; ita quantas hoc nomine gratias debeamus Deo opt. max. ne
mente quidem concipere possumus, voce multo minus aut verbis expri-
mere. Vocem tamen penitus comprimere & verba continere, non mo-
do ingratorum fuerit, sed impiorum: præsertim *hac die*, quæ *Octobris
ultima est*, ac summum illud Dei beneficium, ministerio LUTHERI hisce
cumprimis regionibus præstitum, nobis in memoriam revocat. Præbit
huic pietati ac gratitudini nostræ elegantioris ingenii Juvenis Dn. JO.
GEORGIUS SCHULTZIUS *Waldenburgensis, Philosophiæ ac bonarum
artium Baccalaureus dignissimus, nec non Theologiæ cultor eximius*, qui ex
umbone templi Paulini erudite a te conscriptam de *Angelo Apocalyptico,
eternum annunciante evangelium*, Orationem jussu nostro habebit. Ad
quam devote audiendam ut ILLUSTRISSIMI COMITES ac UTRIUS-
QUE REIPUBLICÆ PROCERES gratiose ac benevole adesse, nosque,
finitis factis matutinis, e sacello *Nicolaitano* ad ædem D. Pauli lubenter
comitari haut graventur, est quod officiose ac perhumaniter contendi-
mus, de Civium nostrorum, qui sunt ex florentissimo STUDIOSORUM
JUVENUM cœtu, præsentia frequentissima plane securi. PP. Domin.

XXI. Trinit. pridie Calend. Novembr. Anno
seculi XVII. ultimo.

Typis FLEISCHERIANIS.

✻ (o) ✻

1577

m.c.

AK. 195. (22)

D. Jo. C.

REC
ACADEMIÆ
FEST
REFORM
LUTH

IN VIGILIIS OMNI

A. R. O. C.

PIE CELE

INTIN

ole Ant. Boignoniz, m



5

